

novo subjiciuntur characteres harum Americanarum plantarum. Amicus* in Insulis ditionis Gallicæ degens labori huic se totum devovit et te ducem sequitur, e Tournefortiano Linneista factus, primo methodi tuæ aspectu. Jam quadam genera more tuo conscripta accepi, sed longe plura promittit et expecto.

Kina staminibus quinque gaudet, flos fructui vel embryoni insidet, — affinitate jungitur in eodem ordine quo Coffea, Randia, Vomica forsân, Cephalanthus (hujus capsula bilocularis est, et semen unicum adest in quolibet loculamento). Periclymeni species pleræque in catalogo Plumerii recensitæ, Morinda sive Roioe, Plum. &c.

Pilulariæ flores, totamque fructificationem detexi præteritâ æstate; hujus historiam dedi in Actis Regiæ Scientiarum Academiae.† Lemma Theophrasti hoc anno addam,‡ cujus character naturalis accedit ad Pilulariam, differt tamen, unde genera servo; statim ac figuræ incisæ erunt, mittam has una cum explanatione variarum partium delineatarum.

De Dracone arboris Clusii, certior factus sum, nec Cordyline nec Palmæ species est, ut credunt et suspicati sunt plerique botanici; genus novum,§ quod Draconthema voco, constituendum puto, et proximis nostris in comitiis legam, quid sentiam hæc de re, et quâ ratione institutum genus fuerit. In ordine naturali militat cum Asparago, Convallaria, Tamo, Smilace, &c.

Hortum Cliffortianum|| suo tempore reddendum curavit Mæcenas tuus optimus

* Is absque ullo fere dubio fuit T. B. Renatus POUPE DESPORTES, qui medicinam in urbe Sandominicanâ Capitis exercuit, et inde ab anno 1734 ad 1747 cum fratribus Jussieis commercium habuit litterarum quarum triginta circiter possidemus, quibus accedunt descriptiones generum, de quibus hic Bernardus. Idem serius Catalogum Plantarum Domingensium edidit in tertio volumine operis: *Histoire des Maladies de St. Domingue*. 1770.

† *Histoire d'une Plante connue par les Botanistes sous le Nom de Pilularia*. Mem. Acad. Roy. des Sciences. 1739.

‡ *Histoire du Lemma*. Mem. Acad. Roy. des Sciences. 1740. — Eadem, ut sciunt, quam nomine ac Marsilæ quadrifoliæ omnes nunc salutant.

§ Quod genus serius (a. 1769 in *Mantissâ Plant.*) institutum sub nomine *Dracænæ* ab ipso Linneo, qui de stirpe sollicitus documenta a botanicis plagas calidiores colentibus aut inventibus, ut Vandellio et Loefflingio, pluries quaesivit. Bernardus enim proprias observationes, quas hic nunciatas inter ipsius manuscripta possidemus magno numero magnâque curâ collectas, sed non perfecte digestas expolitasque, nunquam evulgavit, et in catalogo horti Trianonensis manuscripto ubi Draconis arbor *Cordyline draco* inscribitur, hic rejectum admisit nomen: pro quo postea, in catalogo eodem generum anno 1789 impresso, Ant. Laur. de Jussieu nomen *Dracænæ* jam non receptum substituit.

|| *Hortus Cliffortianus, Plantas exhibens quas in Hortis tam vivis quam siccis Hartecampi in Hollandiâ coluit Vir nobilissimus et generosissimus Georgius Clifford, J. U. D., reductis Varietatibus ad Species, Spe-*